se paratos iurare et nomine predictorum communitatum iurare stare et parere mandatis ecclesie et nostris sanctissimi patris et domini domini Io. pape predicti et omne aliud iuramentum prestare quod ad obtinendum nostram gratiam et absolutionem ab omnibus et singulis supradictis sint necessarium vel etiam oportunum. Et omnem penitentiam atque penam portare quam dicta S. V. vel deputatus ab ea eis duxerit iniungendam. Deinde vero premissis sicut premittitur recognitis confessatis propositis et petitis et supplicatis per eosdem procuratores et sindicos ipsi subsequenter ibidem nominibus quibus supra promiserunt et in animas predictorum communium et universitatum predictorum ad sancta dei euangelia iuraverunt eosdem communia et universitates stare et parere mandatis nostris et ecclesie supra commissis per eos et ipsorum nomine confessatis et non confessatis et aliis in procuratoriis et sindicatibus eorum contentis implicite vel explicite. Item quibus supra nominibus in animas ipsorum promiserunt et iuraverunt nobis et successoribus nostris canonice intrantibus fidelitatem obedientiam et reverentiam sicut suo domino temporali. Item promiserunt et iuraverunt nominibus quibus supra in animas eorum quod ipsi credunt quod non spectat ad Imperatorem papam deponere et alium facere sed habet eorum nomine hereticam et heresim dampnatam per ecclesiam reputaverunt et quantum in eis sunt ipsi etiam dampnaverunt. Item quod supradicto per eos nomine dictorum communium et universitatum confessata supra quibus gratiam et misericordiam a nobis dicto nomine petierunt nunquam committent in posterum sed in fidelitate ac devotione manebunt ecclesie supradicte. Item quibus supra nominibus et in animas ipsorum promiserunt et iuraverunt quod ipsi non erunt cum L. de Bavaria dampnato nec cum aliis hereticis et scismaticis nec cum eorum vel Petri de Corbario sequacibus per ecclesiam denotatis seu denotandis nec eis prestabunt auxilium consilium vel favorem et directe vel indirecte publice vel occulte sicut ipsos fuisse confessi sunt procuratores et sindici supradicti nec alio modo sed ecclesie successoribus quod nostris canonice intrantibus devoti erunt perpetuo et fideles. Item iuraverunt et promiserunt quibus supra nominibus in animas eorum quod ipsi officiales et sequaces dicti Petri de Corbario per ecclesiam denotatos vel denotandos non recipient scienter si qui sint vel fuerint in terris que ipsorum dominio iurisdictioni et administrationi subiciuntur sed et eos abicient et persequentur nec eis favorem auxilium vel consilium dabunt quousque ad gratiam ecclesie sint reversi vel nisi ad eos reducendos et revocandos ad eandem gratiam sine fraude. Item promiserunt et iuraverunt nominibus quibus supra et in animas ipsorum quod ipsi in terris predictis vel districtibus earumdem et non receptabunt prefatum L. vel eius stipendiarios nec aliquos alios qui venirent sub nomine Imperatoris Romanorum vel regis seu alterius tituli per eis vel eorum aliquo contra nostra et ecclesie successorumque nostrorum canonice intrantium mandata nec pro eis vel aliquo eorum mittent nec per se vel alios publice vel occulte eis vel eorum alicui prestabunt auxilium consilium vel favorem. Sed erunt stabunt et perseverabunt in rebellione ipsius L. eiusque stipendiariorum et aliorum qui venirent sub nomine Imperatoris vel regis Romanorum aut alicuius tituli per eis vel eorum aliquo contra mandatum et nostrum et ecclesie memorate. Item promiserunt et iuraverunt quibus supra nominibus in animas eorum quod ipsi de terris que ipsorum iurisdictioni et administrationi subiciuntur vel subicientur universos hereticos ab ecclesia denotatos vel denotandos expellere et exterminare iuxta posse curabunt. Item nominibus quibus supra et in animas eorum promiserunt et iurarunt quod ipsi obligationem coniurationem conspirationem seu ligam non facient cum L. predicto nec cum aliis per nos et ecclesiam memoratam dampnatis et factam cum effectu abicient et dimittent et ipsi etiam dicto nomine dimiserunt. Item quibus supra nominibus in animas eorum promiserunt et iurarunt quod ipsi universos et singulos clericos et laicos beneficia vel officia ecclesiastica vel mundana excipientes titulo L. vel Petri predictorum vel alterius